Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

In nomine domini. Anno a nativitate eiusdem millesimo ducentesimo sexagesimo secundo die sabati terciodecimo die mensis madii. Indictione quinta. Cessit dedit atque mandavit Pescatius filius quondam Bozi de castronovo filii quondam maphi de castronovo civitatis mediolani porte Romane Guidotto filio domini buxinardi de buxinate civitatis mediolani qui habitat in loco buxinate omnia iura omnesque actiones utiles et directas reales et personales ypotecharias et omnes exceptiones replicationes retentiones usus et quascumque defensiones sibi pertinentia et pertinentes contra heredes quondam Jacobi calzagrixe [et] quondam petri de sancto carroceno reos principales. et contra heredes quondam Jacobi tarisconi de concorezo et eorum bona et res et contra possessores et detentores rerum suarum que sunt vel fuerunt aut erunt illorum debitorum. et contra quascumque personas et res debitorio et fideiussorio nomine dominatione de illis et pro illis libris undecim et solidis octo terciolorum cum omnibus usuris et expensis illorum denariorum preteritis et futuris et pro omnibus bannis et actis pro inde subsecutis. Quos denarios dictus quondam Jacobus calzagrixa dare debebat et promisit et tenebatur dicto quondam mapho de castronovo avo dicti Pescatii suo nomine et fratrum suorum ut constat per instrumentum unum ibi per me notarium visum et lectum traditum et scriptum per Menaduxium de vegenzate notarium millesimo ducentesimo decimoseptimo [illegible] die mensis marcii. Indictione quinta. Et pro quibus denariis extiterant fideiussores et post tamen principales debitores unusquisque in solidum predicti petrus filius quondam petrucii de sancto carroceno de cruce vicecomitum. et Jacobus filius tarisconi de concorezo et guillus filius fratris dicti Jacobi calzagrixe ut in predicto continetur instrumento. Et de quibus denariis dictus Jacobus calzagrixa condempnatus erat penes illum maphum de libris duodecim minus solidis quinque terciolorum ut dixerunt. De quibus omnibus denariis sortis et usurarum expensarum preteritarum et futurarum dictus bozus pater dicti Pescatii et filius ipsius quondam maphi et guardus de castronovo et heredes quondam Johannis de castronovo iura et actiones cessarant tadeo filio quondam minatii de castronovo ut constat per cartam factam millesimo ducentesimo quinquagesimo nono die dominico sexto ante kalendas marcii per Ranzellinum de vicomercato notarium. Et eum procuratorem in rem suam pro omnia fecit et constituit dictus Pescatius dictum guidottum. Ita ut in omnibus et per omnia in eius locum sit et succedat et sic possit cum suis heredibus et cui dederit agere et experiri excipere et replicare et retentione uti utiliter et directo realiter et personaliter ypotechario iure petere et exigere et habere omnes predictos denarios sortis et usurarum et dampnum et interesse modis omnibus et se tueri sicut dictus Pescatius posset seu poterat contra dictum debitorem et contra dictos fideiussores et debitores et contra quemlibet eorum et eorum bona et res et eorumque heredum et contra quascumque personas et res. Et pro qua iuris cessione predictus Pescatius dixit et confessus fuit se recepisse et habuisse a predicto guidotto emptore in bonis denariis mediolanensibus omnes predictos denarios sortis et omnes eorum usuras et expensas pretio cessionis. Renuntiando exceptioni non numerate et recepte pecunie sortis et usurarum. Et insuper dictus Pescatius promisit et guadiam dedit obligando se et omnia sua bona pignori eidem guidotto quod predicta et infrascripta omnia et singula attendet et observabit. et quod omni tempore se prestabit eorum creditorem usque ad predictam quantitatem sortis et usurarum preteritarum et futurarum dumtaxat pro suo dato et facto et non aliter. Tali lege et pacto et eo dicto et acto quod si predictus vel aliquis predictorum agi contingerit ratione vel occasione alicuius predictorum quod omni tempore et die possit conveniri et distringi primo loco non obstantibus aliquibus feriis solempnibus et repentinis vel indictis et indicendis presentibus et futuris. et quod in solutione vel restitutione dictorum denariorum vel alicuius predictorum non dabit compensabit vel opponet [illegible] vel notas debiti communis mediolani nec aliquid aliud insolutum preter pecuniam numeratam. Et renuntiavit omnibus statutis consiliis et ordinamentis factis et faciendis in contrarium alicuius predictorum. Quibus omnibus et singulis et omni protectioni in contrarium ille Pescatius ex certa scientia et pacto speciali renuntiavit. Actum in arengo communis mediolani. Pro notariis affuerunt amicus de ferrariis et antonius de stronago porte vercelline. Interfuerunt testes federicus filius domini henrici marinoni et guido filius quondam domini ayrardi marinoni et andreas filius quondam [illegible] de castana [illegible].

(S.T.) Ego henricus de marinonis notarius filius quondam domini ayrardi. c. m. por. ran. tradidi et scripsi.

.S.

[illegible] astronomia [illegible]

1302 13 Maij

Pr

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1811457061-12/fragment/page=0002